cum non excedit, neq; ab eo exceditur, est ergo ei æqualis. Haud aliter āgulus f æqualis probatur angulo c. Præterea totus triangulus d e f toti triangulo a b c superpositus est, ipsum neq; excedēs, neq; ab eo superatus, quapropter concluditur ei æqualis propter octauam communē sententiam.

TERTIA PROPOSITIO.



Si tria latera unius trianguli fuerint æqualia tribus lateribus alterius trianguli, qui continentur æquis lateribus anguli æquales erunt.

Sint duo triāguli a b c, d e f, sitq; latus a c æquale lateri d f, & b c æquale e f & a b æquale d e. Dico angulum c esse æqualem angulo f & angulum a angulo d, & angulum b angulo e, hi enim lateribus relatiuis et æqualibus continentur. Nā superponatur basis d e basi a b, neutra itaq;, quoniam positæ sunt æquales, alteram longitudine uincet. Punctus igitur f non cadet aliò quàm super punctum c. Nam si aliò caderet, tunc alterutra linearum aut d f aut e f demitteretur, quare per ultimam petitionem altera breuior fieret. Verbi gratia, si linea d f demitteretur, ita quidē ut maneret æqualis lineæ a c, tunc e f linea decresceret necessario & minor fieret quàm b c linea, quod est contra hypothesim, sunt enim positæ æquales. Igitur non potest punctus f alibi quàm in c cadere, postquā d e superposita fuerit a b lineæ. Necessario etiam cadet d f linea super a c lineam,